Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8269
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

dicit feudo ad foeminam transeunte Dominum non perdere seruitium, quia teneatur per substi-
tutum seruire) Lotand: à Valle cons: 41. n. 26. Vol. 1. Decian: d: respons: 58. n. 40. Vol. 2. Bald:
cons: 3. n. 38. & plures alij in repertorio ad con-
silia Bruni Francoforti impresso litera F. Vers:
Foemina admittitur ad feudum pro quo praestatur seruitus.

Nec obstat quod Menoch: d: cons: 391. n. 34. in fin: scribit, si foemina per substitutum seruire posset, eam semper offerendo substitutum ad feudum admittendam, adeoq; Iuris feudalis regulas elusorias fore. Nam hoc solum dicitur, non ideo quod seruitia praestanda sunt, foeminam esse statim ac necessario a successione aut acquisitione feudi remouendam, quia per substitutum possit seruire, Interim uero nihilominus regulae feudales officium suum conseruant, ut foemina a feudis regulariter exclusa manere debeat. Quod si autem feudum aliquod ita sit comparatum, ut foemina quoq; eius capax intelligi possit, hoc casu propter has solum circumstantias, quod Iuramentum fidelitatis ac seruitia praestari debeant, a successione repelli non posse communiter (et recte quidem) traditur, ob id quod substituto idoneo ista omnia expedire possit.

Porro etsi nulla differentia esse dicatur, utrum

praestito